







21 8

Q. D. B. V.  
EXERCITATIONEM POLITICAM  
*De*  
GYNÆCOCRATIA

in almâ Leucoreâ  
publicæ luci  
sistit

PRÆSES

M. JOHANNES JACOBUS  
ANSORGIUS,

*Argentoratensis,*  
RESPONDENTE


CHRISTIANO CLEMMIO,  
Dresdensi.

*Ad diem XVII. horis matutinis  
In Auditorio Minori.*

---

WITTENBERGÆ,  
Typis Johannis Haken, Anno M DC LXIII.









C. B. D.  
PROOEMIUM:



ulti reperti hactenus, qui Sexum muliebrem nimis um extollunt, imò viris omnibus in rebus præferunt. Imprimis hâc in re maximè laboravit Henricus Corn. Agrippa de nobilitate & excellentiâ Sexus foeminei, qui minimè dubitavit, supra viros varijs modis multasq; ob rationes extollere, ubi statim ab initio p. 4. inquit *Mulier tantò viro excellentior facta est, quantò excellentius præ illo nomen accepit: Nam Adam terra sonat, Eva autem vita interpretatur, at vita ipsa, quàm terra est excellentior, tum viro ipso mulier est præferenda.* Assertionem suam

A 2 *...* mox



moxâ dubijs & Objectionibus liberare  
conatur, ipse sibi opponens: Neq̄ est, quod  
dicatur, debile hoc argumentum esse, ex nomini-  
bus de rebus ipsis iudicium ferre, scimus enim,  
summum illum Rerum ac Nominum Artificem  
prius cognovisse res, quàm nominâsse, qui, cum  
decipi non potuit, eatenus nomina fabricavit,  
quatenus rei naturam, proprietatem & usus ex-  
primeret. Nos quidem hâc in re Sexui foem-  
ineo debitas suas laudes nō denegamus,  
nec etiam cum Autore illo anonymo, omni  
humanitate eundem exuimus. Experientia  
enim testatur, non tantūm piissimas, castissi-  
mas, temperatissimas, prudentissimasq̄; os-  
lim inventas, verūm etiam nū tales inveniri  
Matronas: Hoc tamen ipso non in parī  
cum Maribus gradu sunt, sed aliquantulum  
remissiori, uti habet Liebenthal ex Tira-  
quel. Dicimus cum Aristotele 1. Polit. c. 8.  
Eum oportet, qui praesit perfectis atq̄ absolutis  
virtutibus, quae more gignuntur, esse praeditum  
& ornatum, Quare perspicuum est, virtutem  
moralem habere oportere, neq̄ eandem esse uxoris  
& viri temperantiam, neq̄ fortitudinem & Jus-  
titiā, sed hanc fortitudinem aptam ad imperan-  
dum, illam ad ministrandum & serviendum. Quo-  
bus verbis minimè Aristoteles dubitat asserere  
re, mulis



re, mulieres vel Sexum foemineum tantum  
roboris, tot tantasq; virtutes non habere, ut  
viris imperare possit, ideoq; ad parendum  
non v. ad imperandum a natura destinatum  
esse. De qua Quæstione igitur, nempe:  
*An Fœminæ ad Imperium vel Magistratum sint  
admittendæ, impræ sentiarum mens erit ali-  
quid scrutari. Quod ipsum dum facere co-  
namur, non tam ingenium, quam probato-  
rum Politicorū vestigia sequimur, spe cer-  
tissimâ freti, fore, ut hâc ratione omnem  
Audaciæ atq; Arrogantiæ Suspicionē apud  
æquum Iudicem effugiamus. Tu autem,  
supremum Numen, conatus ad sis!*

§ 1. Antequam ad Decisionem Quæstionis nos ac-  
cingamus, operæ pretium videtur, quò melius, quid in  
Controversiam veniat, constet, ut prius Distinctionem  
illam ponamus inter *Statum Monarchicum & Polyarchi-  
cum*. Quando enim quaritur, an Fœminæ sint ad Impe-  
rium vel Magistratum admittendæ, non quaritur, an ad  
*Polyarchicum, Oligarchicum vel Politicum*, sed an ad Mo-  
narchicum? De illo, nempe Imperio Polyarchico non  
multis dicam, nec etiam opus, ut prolixioribus tracte-  
tur, cum facile nullus probaverit, in Polyarchiâ Fœmi-  
nas esse admittendas, imò *Tholosanus l. 7. de Rep. cu. dicit,*  
*à multis pro monstro annotatum esse.* Et apud Romanos  
lege sancitum, ne mulieres cujusvis negotij causâ senatū  
aut curiam adirent, nisi quod *Heliogabalus (qui alias totum  
Senatum adeò stoccificavit, ut Senatores omnes urbe expulerit,*  
*illosq; servos togatos esse dixerit, nec etiam statim ut in Sena-*



tum lecti erant, jus suffragii habebant, siquidem, qui in postremis scripti fuerant, neq; suffragari, neq; per se censere aliquid poterant, sed in sententiam, quam Princeps in Senatu dixisset, ire oportebat, Alexand. ab Alex. l. 4. c. 11.) Senatulum mulierum in colle Quirinali constituit primus, qui præter mores, institutaq; Majorum, ut in ordine Senatorio mater admitteretur, à Senatu pervicit, sicut de Mesa Varia ejusdem Heliogabali Avia proditum est, cui tribuebatur, ut foemina in Senatu sederet, partes consuleret & sententiam diceret, ceteraq; Senatoris munia obiret. Alexand. ab Alex. loc. cit. Verùm quàm feliciter res successerit, Annales testatum faciunt, quippe prodire Senatus consulta ridicula, de Legibus Matrimonialibus, quæ & quo vestitu incederent, quæ, & ad cujus osculum venirent, & de similibus alijs. Sed confosso Heliogabalo ante omnia caverunt Romani, ne mulier unquam Senatum ingrederetur, utiq; ejus caput inferis dicaretur, per quem id factum esset. Lamprid. in Heliog. Non ergò h. l. nobis res erit de Statu Polyarchico, sed Monarchico.

§ 2. Directo jam Statu controversiæ hunc in modum, distingvimus præterea inter inter Regnum Electivum & Successivum. Rursus in præsentī mens nobis non erit agere de Regno Electivo, sed Successivo. Regnum Electivum quod concernit, Mulierum Imperio competere illud, prorsus negamus. Quoad successivum reperti hæctenus Autores, qui approbârunt, & qui improbârunt. Inter priores est Casus, Tholosanus & Lipsius, multasq; hi autoritates & exempla pro stabiliendâ suâ sententiâ adducunt. Labet eorum fundamenta aliquantisper aspicere.

§ 3. Autoritatem desumunt à Ritu Gentium. Britanni veteres non Regno solum, sed & Bello præfecere, perhibente Tacito Annal. 14. c. 35. Solitum quippe Britannis foeminarum ductu bellare, Id. in Agricolâ. Germani viris ipsis præculerunt mulieres, & in esse ijs sanctum aliquid ac providum putârunt, de morib. Germ. conf. eund. Hist. lib. 4. Hinc ita concludit Lipsius polit. l. 2. c. 3. § 14. Capaces igitur Sceptri, ut hi qui-

dem



dem censent. Atq; etiam ego, nisi lex aut mos patrius aliter juberet. Lacedamonij mulieres publicis in consilijs assumere, adhibere in Curiã ad exequenda negotia soliti, earundem arbitrio decreta multa fecerunt. Triballi, teste Nic Damasceno, quatuor phalanges seu ordines in acie instruunt, primam phalangem faciunt imbellium, alteram ab eã fortissimorum quorumcunq; tertiam Equitum ultimam Mulierum, quæ reliquas in fugam versas convicijs listunt.

§ 4. Sed hæc multorum populorum consuetudo magis ad muliebris Sexus favorem, quam rigidum jus & Regnorum commodum referenda est, inquit Excellentiss. Dn. D. Wendererus Philos. Pract. l. 2. Sect. 1. c. 4. q. 2. § 1. ex Petro. Itaq; ut tulerint quidem in summo Honoris gradu Nationes quadã Fæminas, non illas quidem judicio & suffragio electas, sed nascendi sorte oblatas: nullus tamen unquam populus, cum libera esset Suffragia, cum virorum quantula cumq; esset copia, sibi Fæminas præfecit. Buchanan. lib. 12. rer. Scotic. in oratine Kennedi, & Schönborn. in Polit. p. 156. Quod verò supra quarundam virtute præditarum Mulierum mentio facta, non est sufficiens ad constituendam Gynacocratiam: quandoquidem rara ista fortitudinis muliebris exempla deprehendimus: Et quod à communi Natura lege exorbitat, non trabendum ad consequentiam.

§ 5. Exempla habent quàm plurima: Nonne eximie aliquot Reginarum ait Lipsius lectæ nobis, auditæ, visæ? quæ fortes, cautæ, castæ, virilibus curis foeminarum vitia exuerunt, Polit. l. 2. c. 3. § 14. Alij etiam nominatim ponunt quasdam, tam ex sacris, quàm profanis. Scripturam quod concernit, Debora sanè, inquit, magnã cum laude apud Populum Israëliticum regnavit, Judic. IV 4. Addunt Reginã Arabia, 1. Reg. X. aliasque plures.

§ 6. Ad Exempla profana quod attinet, allegant Semiramidem, uxorem Nini, quæ, cum non audebat marito  
mortuo



mortuo immaturo filio tradere imperiū, nec ipsa palam trahere, tot ac tantis gentibus vix patienter uni viro, nedum foeminae parituris, simulat se pro uxore. Nini filium, pro foeminae puerum, nam & Statura utriq; mediocris, & vox pariter gracilis, & lineamentorum qualitas matri ac filio similis. Magnas deinde res gessit, quarum amplitudine ubi invidiam superat amputat, quae sit, fatetur. Justin. lib. 1. c. 1. Cœnobiā, Odenati, unius ex xxx. Tyrannis conjugem, quae multorum sententiā fortior marito extitit, uti habet Trebell. Pollio in triginta Tyr. Eidem Aurelianus Imperator in quādam ad senatum Romanum Epistolā laudem tribuit: quod sit prudens in consilijs: constans in Disputationibus: gravis erga milites: larga, cum necessitas, postulat, tristis, cum severitas postulat. Jun. Qu. polit, p. 60. Eudociam, Vendam Poloniæ, Margaritam Daniæ ac Norwegiæ Reginam: Alexandram, Alexandri Regis Judæorum uxorem, Joseph. l. 13. &c.

§ 7. Verūm ad hæc breviter & nervosè regeat supra laudatus Excell. Dn. D. Wendelerus Phil. pr. p. 582. inquit Quod autem quedam nonnunquam reperiantur à Deo miraculosè & extraordinariè adjuvæ, sub regulam non cadit. Proinde reperiantur quā plurima Exempla, ubi mulieres pessimè regnârunt; Attalis ut à sacris auspiciemur, sub auspiciū Regni totum Regiū sēmen interfecit: Cleopatra ut ad profana pergamus, libidinosa simul & sanguinolenta erat, de quā Dio Cassius lib. 50. inquit Propter hanc Cleopatram declaratus hostis Romanis Antonius. Quare & Octavius contra eum excitans milites dicebat eum mutatum fuisse per illam à priori virtute, quod fieri non posset, ut qui regio luxui mollitiæq; muliebri indulgent, viro aliquid dignum vel consulant vel agant. Est enim necesse omnino, ut quibus unus quisq; vitæ rationibus utitur, earum similis reddatur. Livia Tiberij mater eidem nihil profuit, superbiâ enim reliquas foeminas omnes longe post se intervallo reliquit: extra consuetudinem Populi R. introduxit plurima, quae indignè ferens Tiberius nihil post insolens agere ei permisit: egiā de cretos honores, exceptis minimis, improbavit. Idem

Exemplo



Exemplo Amazonum aliarumq̄, Foeminarum rebus præ-  
clare gestis inquit Casus (qui aliàs Affirmativam defendit)  
Uti ais, dico, quod neq̄ Sexus, neq̄ decorum, neq̄ ordo Civi-  
tatis neq̄ Lex justitiæ ista ab illis exigant: & ut uno verbo  
concludam omnia: Sicut una Hirundo ver non efficit, ita u-  
num vel alterum Exemplum nec in naturâ, nec in civitate le-  
gem constituit.

§ 8. Accingimus nos ad ipsam Quæstionis Deci-  
sionem, & statuimus: Quod in Regno successivo non  
facile possint admitti. Mulieres Svadet illud Natura &  
Ratio. Naturæ enim & rationi conveniens est, ut minor  
majori serviat, Atqui mas, sicum Fœminâ comparetur sem-  
per genere excellere videbitur. Arist. 1. Polit. c. 8. Quippe  
licet specie conveniant, mas & fœmina, insignes tamen inter  
eos intercedunt differentia. Et est secundam Ulpianum lib. 1. de  
sen. leg. 1. P. t. 9. ordo naturalis in hominibus, ut serviant fœ-  
mina viris, Filij Parentibus, quia nulla Justitia, ut major  
serviat minori, & major dignitas est in Sexu virili, & cujus-  
que plebeji, quàm in nobiliore muliere. Barbaricus, inquit  
Camerarius Polit p. 67. mos est, & adversarius naturæ, impe-  
rij muliebris, quale Amazonum fuisse perhibetur, quas ap-  
pellat Homerus ἀστὴρες, id est contra viros positas, seu  
eas, quæ vocantur viragines. Α quo genere devicti populi  
γυναικὸς ἔργα οἰοῦνται sunt dicti.

§ 9. Prohiberi videtur etiam à divino mandato, ubi  
Gen III. 16. Lex divina subesse & obedire, non impera-  
re viris jubet Fœminas, I. Pet. III. 1. expressè mandatur, ut  
uxores sese subjiciant suis viris. Conf. Eph. V, 22. Coloss.  
III, 18. I. Cor. 7. Esa. III, 13. ubi iudicio Dei misera censetur  
esse Respublica, cujus habenas moderatur Fœmina,  
cum inquit: Populum meum opprimentium quisq̄ est parvu-  
lus, & fœminæ dominium exercent in eum. I. Tim. II, 11. Apo-  
stolus Paulus præcipit, ut mulier cum silentio discat cum  
omni submissione. Mulieri enim docere non permitto, neq̄  
autoritatem usurpare in virum, sed mando, ut sit in silentio.

B

Adamus





Adamus enim prior formatus est, deinde Eva, & Adamus non fuit seductus; sed mulier seducta, Causa transgressionis fuit.

§ 10. Ad Imperantem requiritur, ut sit instructus optimis & perfectissimis virtutibus tam Corporis, quam animi, quæ tamen apud Fœminas rarissimè inveniuntur. Corporis, quia fœmina minus robusta est, juxta *Aristol. l. 1. & con. c. 3.* Hinc *Seneca in Octaviâ* dicit: *Deus fœminis pectus instruxit dotis, sed vim negavit.* Objiciat hîc quis ex eodem *Arist. l. de mirab. narr. quod Ligustorum mulieres opus facientes pariant, lotoq; infante ad sirculum mox fossionemq; redeant, ac alia obeant munia puerperis minimè usitata.* Sed *Resp.* Si verum, quod Aristoteles dicit, primò tantum est particulare huic genti, nullibi enim legimus apud ullum populum, illud fieri. Excusabant se saltem Obstetrices Ægyptiacæ hoc dolo, cum mandasset Pharaos: *Cum inspicietis in sellas parturientium, si filius fuerit, ut necetis illum, edico; si filia fuerit, ut vivat.* Cum verò illæ obstetrices timentes Deum non obtemperassent, vocatæ ad Regem responderunt: Quia mulieres Hebrææ non sunt, sicut mulieres Ægyptiacæ. Sunt enim vividæ, cum nondum venit ad ipsas Obsterix ulla, jam pepererunt. *Exod. l. 13 seqq;* *Secundò*, ut sit, nondum tamen sequitur ex his plus roboris inesse mulieribus, quam masculis, uno enim & quidem isto actu sufficientia roboris, quæ ad imperandum requiritur, non potest probari.

§ 11. Non est in illis Fortitudo, præcipua autem pars Imperatoria artis in gerendis bellis & sanguine noxio fundendo & in repellendis violentijs consistere videtur, ut naturaliter mollities mulierum cum robore militari, & ut dicam significantius, cum ferociâ adversari videatur. *Tholos. de Rep. p. 425.* Hinc *Xenophon in æcon.* inquit: *Mulier imbecilliori & molliori corpore est, ut ad moneatur intra tectum manere, & lanificia curare: inde etiam ingenerata est illi major ἰσχυρία, ut sciat domi sibi tractandos & nutriendos liberos.* Et *Casus tandem*



tandem fateri cogitur, inquit: *Natura fœminis Martis*  
*vexillum, Minerva autem mentis triumphum negat; Mars*  
*enim lacertos corporis, bellum impavidos actus fortitudinis*  
*in suis tragœdijs peragendis postulat; at fœminæ carne molles,*  
*toto corpore graciles & infirmæ, animo instabiles, actione*  
*minus cautæ, pugna feroces & temeraria, ingenio pavidæ,*  
*ancipites consilio, rei militaris penitus indoctæ & inexpertæ*  
*habentur. Quid ergo fœminæ cum Marte? Quid cum belli*  
*tormentis agerent? Nova res esset videre fœminas proficientes*  
*in aciem, ensibus, hastis, scorpionibus armatas fugare hostem,*  
*per terram, per mare cum viris conferre pedem. Hoc potius ad*  
*illas spectat, ut domi telam ex penso trahant, dum viri in*  
*bello sua tela tractent. Sphær. Civit. lib. 2. c. 4. Et licet animo-*  
*se quedam satis sint mulieres, quia tamen tales non esse cre-*  
*duntur, contrahunt in animis parentium contemptum, qui*  
*plus ad destructionem Imperii facit, quàm autoritas ad con-*  
*servationem, teste Arniseo de Rep. c. 9. Præsertim in bellis*  
*gerendis, fama enim bella stant, inquit Darius ap. Curt. l. 3. c.*  
*8. § 7. Et nihil Imperio detrimetiosius est, quàm contemni.*  
*Arist. 5. Polit. c. 10.*

§ 12. Animi. Nō n. est in illis cōstantia. Sic n. *Propert. l. 2*  
*Eleg. 18. v. 62. Nulla diu Fœmina pondus habet.* Hinc statuit  
Cōstantino, ne mulieres vel ferendi testimonij, vel alteriq  
rei causā cogantur personaliter venire ad Judiciū. *Et apud*  
*Romanos antiquos, cū mulier aliquando propriam causam*  
*in foro dixisset, misit Senatus Deos consultum, quidnam ea*  
*res civitati portenderet Plut. in Num. Quod si quæ fortiores*  
*inter eas videntur, eò magis sunt periculose, quò vehementio-*  
*res impetus habeant, & quæ tædio Sexus Fœminam semel*  
*exuerunt, etiam ultra curas viriles licentiam*  
*extendere volent. Jun. p. 63. ex Buchanan. l. 12. rer. Sect.*

§ 13. Neq; Prudentia plena. Desinitur mulier pru-  
dentiæ & consilio, sine quibus *Respublica stare nequit, ut ha-*  
*bet Excell. Dn. D. Wendeler. Phil. Pract. P. 582.* Hinc olim  
in perpetuâ Cautelâ constitutæ fuerunt mulieres. *V. Cujac.*  
*obs. 11.*

Bz

§ 14. Neq;



§ 14. Neq; Taciturnitas. Qui enim femina aliquid committit, inquit Antiphan. ap. Stob. idem facit, ac si in foro denunciaret voce præconum Jerm. 72. Et Plaut. in Aulul. mulierem loquentem ita intro ducit:

Multum loquaces merito omnes habemur,  
Nec mutam profecto repertam ullam esse  
Hodie dicunt mulierem ullo in seculo.

Taciturnitas, inquit Exc. Dn. D. VVend. Magnum imperij munimentum est. Hinc merito Curtius Persas à taciturnitate laudat, ubi inquit: Cæterum Alexander, quam regionem Darius petiisset, omni curâ vestigans, tamen explorare non poterat: more quodam Persarum arcana Regum mirâ celantium fide, non metus, non spes elicit vocem, quâ prodantur occulta: vetus Disciplina Regum silentium vitæ periculo sanxerat. Lingua gravius castigatur, quàm ullum probrum: nec magnam rem sustineri posse credunt ab eo, cui tacere grave sit, quod homini facillimum voluerit esse natura. lib. 4. c. 6. v. 5. Annõ Dalila maritum suum Philistis prodidit loquacitate suâ Iud. 16. v. 17. seq; Simile exemplum habemus ap. Tacit Annal. l. 1. ubi Tacitus: Quippe Rumor incesserat, paucos ante menses Augustum electis conscijs & comite uno Fabio Maximo Plenasiam vectum ad visendum Apprippam, multas utrinq; lachrymas & signa Charitatis, & Spem ex eo fore, ut Juvenis Penatibus Avi redderetur. Quod Maximum uxori Martia aperuisse: illam Livia. Gnarum id Cesari. Neq; multo post extincto Maximo (dubium an qua sit à morte) auditos in funere ejus Martia gemitus semet incusantis, quod causa exitij marito fuisset. Quam Historiam aliter memorat ex Plutarch lib. ωβι ἀδολεσχίας Arnisæus, qui pro Fabio Maximo supponit Fulvum. v. Arnis. p. 186.

§ 15. Neq; Celeritas in expediendo & inveniando consilia, cum tamen omnes Politici suadeant, celeritatem, præsertim in rebus bellicis necessariam, quam etiam ob celeritatem Alexander M. passim in Historicis celebratur. Hinc Gobares ap. Curt. in Orat. ad Bessum habitâ  
ita



ita loquitur: *In vestibulo Regiæ tuæ velocissimus consistit Rex,  
Ante ille agmen, quàm tu mensam istam movebis. l. 7. c. 4.*

§. 16. Insuper etiam Fœminæ plurimis vitiis sunt obnoxia. Sunt enim maximè Sævitiæ deditæ. Nemo est, opinor, qui nesciat, quales Tragœdias excitaverit Johanna Neapoleos Regina, ab impudicitia Lupa dicta. Tres hæc Reges, eosdemque Maritos crudelissimis Parricidiis interfecit. Bodin p. 157. *Thamyris non contenta Cyrum Regem Persarum insidiis circumventum vicisse & occidisse, sed etiam caput illius amputatum immani crudelitate in utrem humano sanguine repletam conjici jussit, cum hæc exprobratione: Satiata te sanguine, quem sisti, cujusq; insatiabilis semper fuisti. Justin. l. 1. Semiramis cum à marito Nino precibus Imperii potestatem per quinq; dies obtinisset, maritum per armigeros in carcerem detruxit, ac tandem interfecit.*

§. 17. Sunt ambitiosæ. De muliebri quodam certamine refert Dio Cassius; in quo, cum mulieres crudelissimè pugnassent, essentq; ob eam causam conviciis confectæ cæteras nobilissimas Fœminas, cautum est, ne qua mulier unquã in reliquum tempus muneribus gladiatoris perfunderetur. l. 75. p. 867. Conf. Tacit. l. 3. Annal. c. 33.

§. 18. Nec etiam Castitas illis permittit imperium. Cum difficile sit, inquit Bodinus, in eo genere castissimas decus & existimationem tueri, tum verò Reginas ipsas ab impudicitia famâ vindicare difficillimum est p. 156. & Honestas id ipsam exigit. Est enim contra pudicitiam Sexui congruentem virilibus conventibus & officiis sese immiscere. Imò pudor, qui mulieribus proprius videtur, inhibet eas consortiis virorum interesse, maximè Juvenum turmis implicitum, quibus efferata mens licentiam ad audendum promoveret. Schönborn. p. 152.

§. 19. Indecorum proinde & feruum nimis hoc imperium, in Pui Tacit. de morib. Germ. l. 45. c. 11. Fœminæ enim est manere domi, tolerare colo vitam, famulas ad Lumina longo exercere benso. Virgilius Æneid 8. E



*Bodin.* Quod sit tanta est Subditorum Ignavia, tantus  
Scrupor, ut per summam contumeliam ac dedecus fœminis  
Reipub. gubernacula torquere patiantur, singulos eti-  
am domestico Fœminarum imperio teneri necesse est. Quod  
enim publicè licet, privatim semper licebit l. 6. c. 5.  
Quapropter Persarum Principes consilium dederunt Re-  
gi, ut Vasthidis superbiam severissimè coërceret, ne uni-  
us arrogantia cœteras ab officio revocaret, *Estb. 1.* Cui  
calculum adjicit *Adamus a Conzen*, cum inquit: *vir fa-*  
*mosus redditur, si uxori paret, uxor infamis, si viro imperat.*  
§. 20. Et repellit sanè Lex à virilibus Officiis fœ-  
minas leg. *Fœminæ 2. de re jur. l. 2. §. 2. de postul. Severus*  
*Cacina ap. Tacit. l. 3. Aenal. censuit, ne quem Magistra-*  
*tum, cui provincia obvenisset, uxor comitaretur. Et*  
*Paulò post ap. eund. Haut frustra placitum olim, ne fœ-*  
*mina in socios aut gentes externas traberentur, inesse mu-*  
*lierum comitatu, quæ pacem luxu, bellum formidine*  
*morentur, & Romanum agmen ad similitudinem Barbari*  
*incessus convertant, non imbecillum tantum & imparum*  
*laboribus Sexum, sed, si licentia adsit, sevum, ambitio-*  
*sum, potestatis avidum. Hinc neque militaria feuda re-*  
*gulariter fuerunt concessa mulieribus, quæ à Successione*  
*etiam eorum exclusæ sunt, hâc ratione potissimum, quia*  
*qui non potest servitium exhibere, propter quod datum*  
*est feudum, eo privari debet; Proinde & Vasalli, qui Cle-*  
*rici fiunt, vel Monachi, juxta feudorum usum amittunt*  
*feudum, tanquam armis militaribus non idonei, nisi ali-*  
*ud introduxerit consuetudo aut privilegium, sicut Cuspi-*  
*nian. ex Archiv. Archid. Austr. notavit. De his vid. Arnif.*  
*p. 191.*

§. 21. Sunt tamen nonnulli, qui quidem non ma-  
nifestè pro affirmativâ sententiâ pugnant, nec in totum  
imperium mulierum concedunt, illud verò etiam non  
prorsus rejiciunt, præsupposito nempe, si fiat aut neces-  
sitate extremâ, ubi ex totâ Regiâ stirpe ne ullus quidem  
masculini



masculini Sexus reliquus, ita, ne cū muliere tota Respub.  
profligetur, hoc remedio sublevari posse. Probè tamen  
illud observandum. Nam *Besold. inquit Syn. Polit.*  
*Regna quamplurima inveniuntur, Hispanicum imprimis at-*  
*que Anglicanū, ubi licet fœminis locus pateat ex regni consu-*  
*etudine singulari: nihilominus masculo Filio existente succede-*  
*re Fœmina nequit, etiam si eo aetate major sit. Et Molina: Reg-*  
*num non nisi propter tranquillitatem & in solatium Regis libe-*  
*ris masculis carentis ad Regias filias pervenire solet.*

§. 22. *Aut, nisi aliquā speciali Lege cautum, vel*  
*prohibitum, ne muliebris Sexus succedat. Ita in nonnul-*  
*lis reperitur Regnis, ubi nullā Lege prohibitum est, aut*  
*non rarò Legibus aut institutis majorum commissa juxta*  
*Heider. Si verò consuetudo regionis hoc non ferat, qua-*  
*liter in Galliā fieri solet, mos ille antiquus instar Legis*  
*habendus est, nec ab eo recedendum, & nullo modo ad*  
*Successionem Regni admittenda est mulier.*

§. 23. Hanc tamen in Regno Successivo ad impe-  
randum admittunt fœminam, quæ spectatâ Constantiâ,  
Doctrinâ, Prudentiâ, aliisque Virtutibus Sexum fœmine-  
um superat, & ut Seneca ait, *quam Natura solertem, in-*  
*dustria literatam, educatio piam, experientia sapientem effe-*  
*cit. Et licet non sexu sint masculi, animo tamen & Affectibus*  
*sint masculine, masculisque virtutibus instructa. Christ. Matt-*  
*hie p. 1295.*

§. 24. Atque hæc breviter dicta sunt de Quæstio-  
stione hæc. Stet sua cuique Laus, Stet interim invicta eti-  
am Veritas!

S. D. G.









94.A 7578

ULB Halle 3  
002 715 147




f  
sb.

1017


1009











Q. D. B. V.  
EXERCITATIONEM POLITICAM  
*De*  
GYNÆCOCRATIA

in almâ Leucoreâ  
publicæ luci  
sistit

PRÆSES

M. JOHANNES JACOBUS  
ANSORGIUS,

*Argentoratensis,*  
RESPONDENTE

CHRISTIANO CLEMMIO,  
Dresdensi.

*Ad diem XVII. horis matutinis*  
*In Auditorio Minori.*

---

WITTENBERGÆ,  
Typis Johannis Haken, Anno M DC LXIII.

